

lis foret, quae quidem non omnino satisfacit, interim tamen non absurda est. Nam si quis illum, quem supra descripsimus, modum ordinationem, aut directionem quandam, ad alium uocare amet, qua per emissionem specierum conceptus ad alios ordinentur, non repugnauerim. In uerbis sumus faciles, modo in re congruamus

XII

Insigne uero argumentum Ebraismus praebet. Is enim non leui adiuumento et Philosopho esse potest, quod Theologus, de uniuerso puriori coetu immortaliter meritus, Summe Reuerendus Dn D. V. E. LOESCH., egregie monstrat in libro, quem de Causis Linguae Ebraeae inscribit, in primis L. 3. c. 6. p. 470. ubi commemorat, non leuem sibi ad manus esse apparatus Physicorum rudium, ex Ebraismo petitorum, praesertim eorum, quae in Nominibus Ebraeis Coeli, Lucis, Solis, tenebrarum, expansi, etc. latent, quibus creationis historia enarratur. Deinde pergit: *Credi uix potest, quam mire illa rem Physicam illustrent, quam belle emphasis eorum cum experimentis probatissimis conspiret, ut spes sit, (cuius rei elaboratum iam apud me specimen est, alio loco edendum) posse ex apparatu isto Datorum Physicorum in Ebraismo antiquissimo residuorum hypothesis Physicam longe meliorem, firmioremque confici, quam ea est, quae in Physicis Sacris a Comenio, Sophronio a Kozak et Dikinsio, ex Fanaticis magis, quam biblicis principiis est consarcinata.* Pari ratione quoque de Pneumatica dixerim, eam, si non in alio, certe in hoc, argumento, ab Ebraismo plurimum adiuuari. Nam cum secundum maxime Reu. Dn Casp. NEVM. in Clauis domus Heber Part. post. p. 119. *Ebraeorum uoces non usu tantum ualeant, sicut numeri; uerum et Etymologica ipsarum ratio ad eruendam genuinam uocabuli significationem in subsidium uocanda sit, prouti idem Dn. Neum. et supra laudatus Dn. D. LOESCHERVS, locis. cit. demonstrarunt; hinc uideamus, quid formalis earum uocum significatus in recessu habeat, quibus Spirituum loquendi actiones in Sacris exprimuntur.* Antequam uero illud faciamus, prius dubium remouendum erit, quod adducit, et simul soluit Magnif. Dn. D. Loesch. de Caus. Lingu. Ebr. L. 1. p. 741. ubi scribit: *Equidem uideri primo aspectu poterat, ex Neu-*